Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3013

Quelle:
Copyright:

Quae e *Psalmo* mutuatus est Noster, aliter expressa sunt in *Notkeri Labeonis Psalterio* apud *Schilterum Thes. Antiqq. Teut.* T. I. p. 246. cujus *Glossarium* ex hoc *Cantico* quibusdam vocibus augeri possit.

DCCCXXIX.

412 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 8. 4. nitide scriptus, rubricisque distinctus continet *Sequentias* sive Melodias olim in Missa solemni longe frequentius, quam hodie, ante Evangelium cantari solitas, quarum Origo ad *Adrianum* II. Pont. *Rom.* refertur; unde etiam a secunda manu *Sequentionarius* inscribitur. *Sequentiae* singulae ad marginem exteriorem *Notis* suis *Musicis* instructae sunt. Earum titulos et initia dedit *Lambecius* T. II. p. 784. sed non omnium. Residuas itaque hic adscribam. Omissa primum ab eo *Feria V.* Paschatis. *Carmen suo dilecto ecclesia christi canat ob quam patrem matremque deferens* &c. Dein *de uno Martyre*, quem Titulum transcribo e *Cod. San — Gallensi* citato a Cels. *Gerberto* T. I. *de Cantu et Music. sacra* L. II. P. 1. c. 4. p. 415. *Quid tu uirgo mater plorans rabel formosa. Cuius uultus iacob delectat* &c. Demum omissa *Sequentia* pariter absque titulo, sed quae incipit: *O qui Celorum contines regna. Dolentum qui consolatio comprobaris unica. Umbrosae qui fles iherusalem ruitura menia* &c. quamque inter citatas e *Cod. San — gallensi* non invenio, pertinere tamen e contextu arbitror ad Evangelium *Lucae* C. XIX. *Cum appropinquaret Jesus Jerusalem* &c. atque adeo ad *Dom. IX. post Pentec.* Post haec stitit ille in Sequentia *Sancte Marie Magdalene.* Supersunt vero in *Codice* Sequentiae: *In Ascensa Domini. Captiua.* Initium: *Summi triumphum regis prosequamur laude. Qui celi qui terre regit sceptra* &c. *In Sancto Die Pentecostes. Occidentana.* Initium: *Sancti spiritus assit nobis gratia. Quae corda nostra sibi faciat habitaculum* &c. Initium hujus Sequentiae Librarii veteres Scriptis suis passim adponebant. *In Natali Sancti Johannis Baptiste.* Initium: *Sancti baptiste christi preconis sollempnia celebrantes moribus ipsum sequamur* &c. *In Natali. S. Apostolorum Petri et Pauli. Concordia.* Initium: *Petre summe christi pastor et paule gentium doctor* &c. *In Natali S. Laurentii Martiris. Romana.* Initium: *Laurenti dauid magni martyr milesque fortis. Tu imperatoris tribunal* &c. *In Assumptione Sanctae Mariae. Mater.* Initium: *Congaudent angelorum chori gloriose uirgini. Quae sine uirili commixtione genuit* &c. *In Natiuitate Sanctae Mariae.* Initium: *Stirpe maria regia Procreata regem generans Ihesum* &c. *De Sancto Michahele. Greca.* Initium: *Magnum te michaelem habentem pignus Ciuium nostrorum* &c. Ordinem anni sacri in his *Sequentiis* non esse observatum quivis animadvertit. Culpa tamen non Lib-

rarii